



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema XXXI. Nascituro rursus in mundo Domino, quænam ipsius Mater  
& Genitrix? Dominica IV. Adventus Venit in omnem Regionem Jordanis  
prædicans Baptismum Pœnitentiæ. Lucæ. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



# PROBLEMA XXXI.

Nascituro rursus in mundo Domino,  
quænam ipsius Mater &  
Genitrix?

## DOMINICA IV. ADVENTUS

*Venit in omnem Regionem Jordanis prædicans  
Baptismum Pœnitentiæ.*

*LUCÆ. 3.*

**S. I.**  
Contraria  
juxta se  
posita ma-  
gis eluces-  
cunt



I aliunde nescirem que vitam universale scandalum: S. Evangelistam Judææ præerat Pontius Pilatus, ab Lucam artis pictoriæ gnarum fuisse satis id ipsum in iusto agendi modo & pernicioso humano respectu infamis: Galilææ colligerem ex ordine hodierni Evangelij ab ipso scripti. *Contraria juxta se posita magis elucescunt*: Philosophorum axioma est. Quod re ipsa periti Pictores observant: qui, ut colorem unum, v.g. album, melius educant in lucem, umbram obscuram, aut colorem nigrum juxta ponunt. Simile quid S. Evangelista & Pictor Lucas in hodierno Evangelio observasse videtur: qui, ut immensam DEI erga Mundum benignitatem & misericordiam clarius proponeret, juxta posuit miserandum mundi statum, in quo, adventante in mundum DEI Filio, erar. Caput Orbis Romanique Imperij, Tiberius erat, ob crudelem lasciviam

que vitam universale scandalum: Judææ præerat Pontius Pilatus, ab in iusto agendi modo & pernicioso humano respectu infamis: Galilææ dominabatur turpis adulter Herodes: summi Pontifices erant Viri sacrilegi, Annas & Caiphas &c. Ex quibus mundi Capitibus, qualis tunc Mundus fuerit, colligere est. Teste namque Lucano ipsaque experientiâ: *in vulgus manant, exempla Regentum. Et qualis Rector est Civitatis* (idem est de toto Regno aut Imperio:) *tales & habitantes in ea.* Ecclesiastici 10. v. 2. *Verè ad vesperascebat* (inquit de illis temporibus S. Bernardus ser. 1. de Adam) *& inclinata erat jam dies: recesserat sol Justitiæ, & abundante iniquitate fervor refrixerat charitatis. Jam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta. &c. Et ego (ait Filius DEI) tunc dixi: ecce venio.* Puta, ad mundi salutem.  
Tunc

Tunc apparuit benignitas Salvatoris ad Tit. 3. v. 4. Tunc, cum Mundus totus in maligno positus esset: Joan. 5. Tunc, cum universali rursus cataclysmo mergi mereretur, aut delapso coelitus igne instar Sodomæ & Gomorrhæ incinerari; tunc apparuit benignitas Salvatoris. Præcurso-rem suum Joannem ex eremo e-vo-ocat qui Orbi toti prædicet Luc. 3. v. 3. *Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Eundem nobis prædicat S. Mater Ecclesia repetens Præcurso-ri-um verba: *Parate viam Domini &c.* Quod autem id faciat ante instans Feitum Nascentis Do-mini, meâ opinione facit ideo: ut denuo formetur Christus in Nobis. Galat: 4. v. 19. & spiritualiter na-scatur. Quod sita est: quænam illius Mater & Genitrix futura? audia-mus.

Dies isti, quos annuè hoc tem-pore obimus, ab Ecclesia dies Ad-ventûs; vel, ut placet alijs, *dies Ex-pectationis* dicuntur, eò quod toto hoc sacro tempore & diebus, expe-ctemus adventum & Nativitatem Domini JESU; unde etiam in quoti-diano officio Ecclesia nos monet: *Propè est jam Dominus, venite ad-o-remus.* Sed percontari licet: si na-sciturus rursus Dominus est, quæ-nam erit ipsius Mater?

§ 2.  
Pœniten-  
tia est Ma-  
ter Christi.

Scio equidem annis abhinc mil-le sexcentis 88. castissimam Virginem MARIAM peperisse Christum; sed cum iteratò instet Nativitatis festus dies, quænam Mater Chri-stum Nobis est paritura? Resolvit dubium doctissimus Hugo Card. in Problemata P. Philippi Hartung,

Judith 6. v. 7. dum ait: *Pœniten-tia Dominum parturit.* O beata Christi Mater Pœnitentia! quis di-gnitatem tuam dignè prædicet? multum in tui laudem dixisse videri potest Isidorus L. 1. c. 12. inquiens: *Pœnitentia sanat, Pœnitentia justifi-cat, Pœnitentia peccatorum veni-am donat, omnis spes in Pœniten-tia.* Multum pœnitens Augusti-nus L. de vera pœnit. c. 1. *Hæc est, quæ homines ad Angelos ducit, & Creaturam reddit Creatori.* Mul-tum S. Chrysoftomus in Isaiam. *Pœnitentia Cælum aperit, eadem ho-minem in Paradisum introducit.* Sed laus laudum: quod *Pœnitentia sit Mater Christi*: quod Dominum rursus pariat. Nequis verò nu-dum finè re, honoris titulum arbi-tretur, utramque Christi Genealo-giam inspiciamus.

Lucas. c. 3. in Christi Genealo-gia recenset septuaginta septem Generationes Christi: *JESUS, putabatur Filius JOSEPH, qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Levi &c.* & sic usque ad septuagesimum septimum numerum. Sed quid, quæso, vult sibi hic numerus? Meministi finè dubio, quod inter-roganti quondam D. Petro Matth. 18. v. 21. *Domine quoties peccabit in me Frater meus & dimittam ei? usque septies?* dixerit Dominus: *non dico tibi usque septies, sed usque septua-gies septies.* Locum hunc explicans S. August. L. 2. c. 4. de consensu Eu-angel. dicit numerum septuagesimum septimum pertinere ad per-fectam pœnitentiam, & peccato-rum remissionem. Dum ergo D. Lucas

§ 3.  
Ex duplici  
Christi  
Genealo-  
gia osten-  
ditur,  
Christi Ma-  
trem esse  
Pœnitentiam.

Z

Lucas

Lucas dicit: Christum per septuaginta septem Generationes descendisse, natumque esse; quid re ipsa aliud dicere vult, quam quod memoratus Hugo Cardinalis: *Pœnitentia Dominum parturit?* quid aliud, quam quod Mater & Genitrix Christi sit? Sed audiamus ulterius, quid de Christi Progenitoribus dicat Matthæus? sic ipse Evangelium suum orditur: *Liber generationis Jesu Christi, filij David, filij Abraham &c.* Matt. 1. Præposterum ordinem dicet quis hunc esse generationis Christi, quando David juniori Abraham præponitur. *Liber generationis Jesu Christi filij Abraham, filij David,* ponere debuisset. At sapienter factum, prout notat Hugo Carenis, cum ordinem generationis Christi sic Matthæus conscripsit, Abrahamo Davidem præponendo; quando causam assignat: *profundus peccator David fuit, & pœnituit.* Quasi diceret: in generatione Christi idcirco primus ac primarius ponitur David, quia, cum esset profundus peccator, egerit autem de profundo, id est, sincero corde, pœnitentiam: hæc verò Dominum parturiat, meritò prior ponitur.

§ 4.  
Cur majus  
gaudium  
in Cœlo  
super uno  
peccatore  
quam 99.  
justis.

Jam non miror id, quod Lucæ, 15. ipse Christus dixit: *Majus gaudium erit in Cœlo super uno Peccatore pœnitentiam agente, quam super 99. justis, qui non indigent pœnitentia,* posteaquam ex doctissimo Hugone audiui: Pœnitentiam Christi Matrem & Genitricem esse. Decet e-

nim, ut, quemadmodum gratiosa illa primâ Nativitatis Christi horâ gavisâ est *multitudo militiæ cœlestis.* Luc. 1. id est, Angeli in Cœlo, ita pariter gaudeant in peccatoris conversione; siquidem illius pœnitentiâ de novo Dominus nascitur: sicut tunc secundum carnem, ita hic & nunc secundum gratiam in corde & anima pœnitentis. Jam non amplius miror dictum illud Damiani, ferm. 56. *Conservevit DEus honorare Pœnitentes magis, quam innocentes.* Lex Divina est: *Honora Patrem & Matrem.* Exod. 20. v. 12. Lex ista, licet secundum Jura, Lege, *Princeps,* Filium DEI non obligaverit, nec strictè obligare, juxta Theologos & S. Thomam, potuerit, quia ex essentia sua erat impeccabilis; servavit tamen eam liberè: *erat enim (teste Evangelistâ) subditus illis* Luc. 2. id est, Nutritio suo Joseph, & Matri Virgini MARIÆ. In quo verò constiterit hæc subjeccio, explicat S. Ambrosius lib. 8. in Luc. 18. *Honoravit, inquit, JOseph & MARIAM Christus, non naturæ debito, sed pietatis officio.* Jam si Nutritium suum, si corporalem Matrem suam ita honoravit JESUS, quid mirum, honorare Pœnitentes peccatores, cum mediante hac spiritualiter Genitores Christi efficiantur. *Pœnitentia Christum parturit.* Jam adverto, cur Christus Capharnaum voluerit dicere, *Civitatem suam.* Matt. 9. v. 1. Capharnaum enim, *Ager Pœnitentiæ* interpretatur. Meritò agrum *Pœnitentiæ* habuit pro Patria, qui

ipsam

ipsam pœnitentiam habet pro Matre atque Genitore. *Pœnitentia Dominum parturit,*

§ 5.  
Cur Magdalenam ante pœnitentiam Mulier, post Mariam dicatur?

Quod si amplius placet veritatem hanc perspicere, Magdalenam intueamur, Pœnitentiæ speculum. Conversionem illius describens Lucas Cap. 7. v. 37. *Ecce (inquit) mulier, quæ erat in Civitate peccatrix.* NB. *Mulierem* vocat Magdalenam peccatricem ante pœnitentiam, quam mox peractâ pœnitentiâ, *MARIA* nominat. *MARIA*, inquit, *quæ vocatur Magdalena.* c. 8. v. 2. Miratur hanc nominum diversitatem Orator aureus Petrus Chrysologus serm. 77. *venit, inquit, mulier, sed redit MARIA.* Adverte Mysterium: *MARIA*, id est, *Mater Domini*; cum enim Pœnitentia, Hugone teste, parturiat Dominum, idcirco Magdalena, quæ ante pœnitentiam vocatur Mulier, post eam vocatur *MARIA*, id est *Mater Domini*. Unde prædictus Hugo in c. 4. Matt. dicit: *Alij portant Christum in utero cum MARIA, qui humiliati per fidem habent veram humilitatem exteriorem & interiorem facientes amaram Pœnitentiam.* Nec mirum, quod verè pœnitentes portent Christum cum *MARIA*; *MARIA* enim oritur & deducitur ab Hebræo *Mar*, &, teste S. Hieron. L. de nomenclat. Hebræ. *Myrrhæ congeriem* significat. Quid autem aliud est Pœnitentia quàm Myrrha, id est, amara? Portavit *MARIA* Christum in ute-

ro, ita ut corpus ejus, quemadmodum post alios docet Salmeron T. 3. tract. 9. fol. 99. non ex quovis corporis sanguine, sed sanguine Virginei cordis sit efformatum. Unde verò, nisi ex pœnitentis lacrymis, quæ sunt sanguis cordis seu Amoris, Christus rursus efformatur? *Pœnitentia Dominum parturit.*

S. Leo Papa de Baptismo Christi sic loquitur serm. 5. in Festo Nativit. *Originem, quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis. dedit aquæ, quod dedit Matri.* Ergo Baptismus, Christi Mater est juxta hunc S. Pontificem, assentiente etiam D. Hilario in Psal. 2. v. 7. cum ad Christi Baptismum refert illa verba: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et S. Augustinus serm. 36. de die Baptismatis ait: *Hodie Natalis est quodammodo Salvatoris.* Quod si verò Baptismus est Mater Christi, quis inficiabitur pœnitentiam esse Christi Matrem, cum Pœnitentia, teste Petro Damiano L. 4. fidei Ortho. c. 10. sit *Baptismus laboriosus.* Et ad hunc Baptismum hortatur nos Laurentius Novariensis, L. de Pœnitentia sic: *Noli tu jam querere neque Joannem neque Jordanem, ipse tibi esto Baptista, baptiza te ipsum laborioso Baptismo Pœnitentiæ.* Et quia, teste memorato Leone, *eam originem posuit DEus in Baptismo, quam sumpsit in utero Virginis,* Ergo Pœnitens pariet, & erit spiritualiter Mater Christi. Hæc ergo causa est, cur S. Mater Ecclesia sacro Adven-

§ 6.  
Christi Matri Baptismus Pœnitentiæ conferatur.

tus tempore ante Festum Natalis Domini diem nos ad pœnitentiam hortetur, & Joannem Præcurforem, & Pœnitentiæ Præconem nobis proponat. Vult nimirum sacro instante Natalis Domini tempore nasci in nobis Dominum per gratiam, qui olim ex M A R I A natus est per carnem.

§ 7.  
Qualis de-  
beat esse  
Pœniten-  
tia, ut Do-  
minum  
pariat?

Duo, quæ ad finem adjungam, habeo, ut tantò certiores simus spiritualis partus Domini mediante Pœnitentiâ; ut veræ DEI Genitrici Christi MARIÆ similis sit Pœnitentia nostra, & dissimilis. Paradoxum loqui videor. Explico me.

1. MARIÆ similis sit Pœnitentia nostra nimirum sit Virgo non vetula; matura, non procrastinata de die in diem, de anno in annum, & ut multorū, in decrepitam senectutem. Cùm enim, teste Augustino, *Pœnitentia fera, raro vera sit*, rari eiusmodi Pœnitentes Dominum parient. sicut enim miraculum fuit, quòd Elisabeth, Anna &c. ætate provec̄tâ & effætâ fructiferæ sint effectæ, & pepererint filios, ità, testibus Patribus, si non miraculum, certè miraculi ad instar, ut differens nimium Pœnitentiam, seriò pœniteat, & Filium DEI spiritualiter, ipsius putà gratiam pariat.

2. Dissimilis DEI Genitrici MARIÆ sit nostra Pœnitentia. MARIA sinè dolore Christum pe-

perit; Christum autem & ejus gratiam sinè sincero cordis dolore non parit Pœnitentia. Lucas Pinellus L. I. de altera vita c. 5. refert. superiori sæculo fuisse Canonicum Parisijs, qui in supremo morbo Sacramentis omnibus munitus è vivis excessit; extra dubium erat, pœnitentiâ quòd ipse suâ Dominum pepererit, sed secus factum. Defuncti anima post mortem amico cuidam suo comparans manifestavit; qualiter nimirum æternum damnatus sit, Admiratione & metu plenus quærit Amicus: nunquid non pœnitentiam egisti? Egi, reponit ille, sed sinè vero dolore emendationisque proposito. O! quàm ego metuo, nè hodie dum multorum Pœnitentia, talis sit, sinè dolore, sinè emendationis proposito, ac proinde Christum illis non pariat. Veræ Pœnitentiæ exemplum fuit S. Thomas Apostolus; cujus festum fors ideo S. Ecclesia agit hoc tempore, quo ad pœnitentiam nos hortatur. Virgo erat illa; posteaquam enim incredulitate peccavit, non procrastinavit pœnitere, sed primâ comparentis Christi occasione pœnituit. 2. Dolorosa erat: quod cor frangentia verba illa significant, in quæ prorupit: *Dominus meus & DEUS meus*. Joannis 21. habetur, qualiter Christus Discipulis suis in littore se manifestarit. Petrus audiens appropinquare Dominum, *tunicâ se succinxit (erat enim nudus) & misit se in mare*. Examinemus, an non per peccata à JESU elongati simus, & ideo gratiâ meritisque nudi. Si ità est, *Ecce Dominus propè est*, clamat. Ecclesia Appro-

pinquat

pinquat, & in cordibus nostris esse & sanguinem in corde & anima no-  
vult. Accingamur tunicâ bono-  
rum operum : immittamus nos in  
mare veræ Pœnitentiæ, & pariet  
Dominum. Ubi autem in Euchari-  
stica sumptione secundùm Carnem  
& sanguinem in corde & anima no-  
stra natus fuerit, amplectamur eum  
cum MARIA Matre ejus, verbis  
sponsæ utentes Cant. 3. *inveni quem  
diligit anima mea.* Aut cum Thoma :  
*Dominus meus & Deus meus.*



PRO